tempus resolutionis meæ instat. In Episcopis vero optandis, consecrandisque tam sunt multa, quæ caveri vult, ut pene non homines, sed angelos requisisse videatur. Illud inter cætera præscribit, ut non alius eligatur, quam *amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere:* tum universe ad Timotheum: *manus*, inquit, *cito nemini imposueris.* Tam est solerter posteritati scilicet, id est, Ecclesiæ, quæ duratura ad finem usque sæculorum erat, servitum!

§. V.

Atque hæc hactenus disputata, pro concessis, ut sane sunt, nostro jure hic sumimus. Sunt autem velut filum quoddam quo ad causam, quam agimus, non tam ducimur, quam labimur, ac pene ruimus. Age, homo detur non affecti, sed integri animi, & qui habitare tantisper secum ipso didicerit: jubebimus hunc convertere oculos, quocumque voluerit, orientem, occidentemve versus; replicare etiam memoriam elapsorum temporum, & cogitando per spatia sæculorum pene octo, ac

decem

decem aſcendere: negare non poterit, intueri ſe infinitam quandam ſocietatem hominum, JESUM CHRISTUM Legislatorem, ac ducem ſuum profitentium; & quamvis diviſa in ſectas hæc ipſa multitudo ſit; eminere unam tamen inter omnes ampliſſimam, totoque diffuſam orbe terrarum ſocietatem, quæ ob hanc ipſam cauſam CATHOLICAM ſe dicat; conſtareque illam ex *populis*, *Epiſcopis*, queis *Presbyteri*, *Miniſtrique* cæteri adjuncti ſint. Negare non poterit, in hâc quantumvis vaſtiſſimâ, ac pene finium experte ſocietate, quæque, omnibus major regnis atque imperiis, regna ipſa, atque imperia in ſe cuncta complectitur, nemini uni ad docendum, regendumque populum patere viam, quin *Epiſcopo* ſe ſuo prius probaverit, & *miſſionem cum Authoritate* acceperit; *Epiſcopos* vero creari nullos, niſi qui & ejuſdem communione fidei conjuncti ſint cæteris, & in illius quam maxime poteſtate eſſe velint, qui eſt caput, moderatorque univerſorum. Is enim Romanus eſt Pontifex, qui tanquam in ſpeculâ collocatus, ſtationem cuique ſuam deſcribit, atque, ut centrum radios circuli, ſic in ſe fidem, religionem, curas, vigilias, &, ut ita dicamus, gubernacula

ſingu-

singulorum suis in curis, vigiliis, manibus colligit, atque connectit. Negare non poterit, cum stet duabus potissimum, regaturque rebus hæc societas, credendis, faciendis, seu, ut vulgatius loquimur, dogmate & disciplinâ; in disciplinæ quidem tolerandâ varietate difficultatem non semper maximam, at dogmatis aliquando variandi spem omnem non impeditam, sed prorsus præcisam esse. Nulli enim hìc unquam novitati aditus. Nova doctrina, aliena à doctrina majorum est: satis hoc ad provincias integras, regna integra, quod XVI. factum sæculo est, resecanda potius, quam communis, acceptæque fidei mutatio aliqua permittatur.

Quærat, quo orta tempore sit hæc societas. Mittetur ad annales, ad origines ac forulos duodeviginti sæculorum. Nam sectæ quidem omnes, cum secessionem ab eâ fecerint, posteriores sint necesse est. Poterit & annus, & locus natalis, & Author, à quo quæque nomen suum sortita est, designari. Quando, ubi, & à quo Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, cæteri, quos torrens iste fatalis uno tum quasi impetu per Europam diffudit? Quæ ætas, quæ Patria Nestorium, atque Pelagium,

quæ

quæ Macedonium & Arium, quæ Marcionem, Cerdonem, Valentinianum, Ebionem, aliosque, à quibus totidem Sectarum natæ appellationes sunt, protulit? Tam sunt aperta hæc in annalibus publicis, ut solem è cœlo auferat, qui neget. At his omnibus superior est catholica Societas. Fuit, cum Constantinus pacem dabat; fuit, cum testimonium Jesu Christi fluminibus sanguinum scribebatur; fuit, cum Marcus Aurelius ethnicus ille, & idolorum addictus cultui Imperator litem de Episcopatu Pauli Samosateni judicio Romani Episcopi, & adsidentis ei per Italiam senatûs Episcoporum dirimendam edicebat. Ascendat altius, qui quærit. Fuit, cum Irenæus Martyr adversus hæreses scribens; *omnes, qui sunt undique, fideles ad Ecclesiam Romanam tanquam principem, à beatis Apostolis Petro & Paulo* fundatam, evocabat. Cum Clemens Romanus (primus, tertius, an quartus à sancto Petro hic fuerit, nihil refert) præclaram illam ad Corinthios dedit epistolam, quæ, ut est testis Eusebius, in publicis Asiæ conventibus prælegi solebat, & in quâ, quis esset ordo in Ecclesia ab Apostolis institutus, tanquam ex recenti memoriâ, luculenter, copiosèque perscribit.

Atque

Atque hic jam finis ſane quærendi erit. In Apoſtolos enim Chriſtumque ipſum incurrimus. Colligamus igitur, Si nos in phyſicis rebus *principio rationis ſufficientis* tantum tribuimus, quantum evidentiſſimo cuivis alteri; profecto, niſi in hac una re deſerti à nobismet ipſis ſumus, fatebimur, quemadmodum corporati hujus univerſi complexio à Deo orta eſt, & in Deum revertitur, ita hanc fidei, Religionisque ſocietatem non aliunde, quam à Chriſto eſſe profectam, in eoque deſinere. Cumque hanc unam ex omnibus teneamus, quæ jam inde à Petro ſucceſſionem obtineat non interruptam primorum Præſulum ſuorum; unam quæ Magiſtratus ſuos iisdem, queis Apoſtoli, ritibus, & renuntiaverit ſemper, & etiamnum renuntiet; unam, quæ tanquam in mappâ demonſtrare indice poſſit, ubi, & quibus initiis orta ſit, quas progreſſiones de ſæculo in ſæculum fecerit, quas acceſſiones paulatim adepta ſit provinciarum, atque populorum, quas Metropoles, quas Sedes Epiſcopales, quas primo, quas poſtea, quas deinceps; unam, quæ velut in tabulâ omnes ſectas, omnesque hæreſes deſcriptas numerare poſſit, quarum authores in ſinu quidem ſuo nati,

ſed

ſed à ſe repulſi, profligatique fuerint; unam denique, quæ omnem peroſa novitatem, retinentiſſima priſcæ doctrinæ, traditæque fidei quâvis ætate, quovis tempore, qualibet occaſione datâ ſe exhibuerit: an poterimus nos, qui, de civili Republica ſi quæreretur, eademne, an alia ſit, ex his ipſis principiis judicaremus, non aperte, rotundeque dicere, aut nullam eſſe hujuscemodi erectam à Jeſu Chriſto ſocietatem, aut, ſi quæ ſit, eam ſolam eſſe, quam hucuſque deſcripſimus? Quodſi & *eadem & ſola ſit*; authoritatem quoque obtinuit ſola, eamque, quoniam à Chriſto manat, expertem erroris. *Teſtari* igitur, *docere*, *jubere* ſola poteſt. Nam primum illud collegium teſtium, cui procurationem divini Spiritus, præſentiamque ſuam addixit Chriſtus uſque ad conſummationem ſæculi, ſi vivit uſpiam, in ea ſocietate vivit, in qua eſt conſtans, nunquam interrupta, eodem ducta filo ſucceſſio. Emigratione neque auferri, neque transferri hæc Authoritas potuit: Nam ita fingamus ſane (libenter enim his popularibus exemplis utimur) ſit, ut eſt Coloniæ Agrippinæ, Univerſitas quædam ſtudiorum, annis abhinc quadringentis erecta, multisque aucta privilegiis à Pontifi-

cibus maximis, atque Cæſaribus. Abrumpat nunc magiſtrorum aliquis, aut ſponte facto divortio, aut ſententiâ ejectus, & Mülhemium ſe conferens Lyceum iſthic ſuis auſpiciis meditetur. Creet is ſane, dicat, faciat magiſtros, ut libuerit; det inſignia: privilegiorum, quorum Coloniæ eſſe participes poterant, Mülhemii nec erit ipſe, nec ſui.

Sed pergamus. Conſtituti ſic quaſi in medio temporum, ac ſpatiorum, cùm hinc quidem annos reſpicimus à Chriſto elapſos pene mille & octingentos, inde per ingentes illos tractus terrarum circumferimus oculos, in quibus Eccleſiæ Catholicæ hucuſque auditum eſt nomen; fit illud per ſe ex iis, quæ diximus, conſequens, ut annos iſtos omnes velut annum unum, & infinitam iſtam teſtium nubem velut teſtem unum ſpectare debeamus; ſemper viventem, ſemper loquentem, repetentemque Joannis illud: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, teſtamur & annuntiamus vobis.* De teſtibus publicis potiſſimum loquimur, de Collegio Apoſtolorum, de Epiſcoporum corpore: Nam ita in omni Republicâ com-

comparatum eſt, ut authoritas quidem exerceatur per plures, ſed tamen una, eadémque ſit, quoniam ex eodem fonte proficiſcitur. Quocirca in graviſſimo errore verſantur, qui, cum teſtimonium Eccleſiæ à nobis profertur, id tanquam teſtimonium humanum repelli à ſe poſſe putant: dividunt enim, quæ dividi non poſſunt. Nos Eccleſiam docentem cum dicimus; non *ſingulos*, ac *ſingulos* dicimus, ſed *corpus; corpus*, inquam, Paſtorum ſucceſſione conſtans; quæ ſucceſſio, quemadmodum Apoſtolos ipſos contingit, & ab his propagatur; etiam à collegio Apoſtolorum ſeparari non debet. Apoſtoli autem, cum à Chriſto ipſo proxime miſſi ſint, & Eccleſiæ hujus fundandæ causâ miſſi ſint, Eccleſiæ univerſalis, ſemper aſpectabilis, nunquam interituræ; profecto etiam illi neque à Chriſto, neque ab hac Eccleſia ſeparari poſſunt. Omnia igitur complectimur, cum Eccleſiam dicimus; Chriſtum, à quo omnis ædificatio conſurgit, & tota authoritas manat; Apoſtolos, in quos primos Authoritas iſta defluxit, & corpus Paſtorum ſucceſſione iis conjunctum nunquam interituræ. Verbo: rem individuam dicimus, Chriſtum ipſum dicimus, cum Eccleſiam dicimus.